252
E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Kw 252 E 91

PETRI FRANCII
ORATIO
DE
PERFECTO & CONSUMMATO
ORATORE.

Habita

In Illuſtri Amſtelodamenſium Athenaeo

VI. id. Octobr.

Cum Ciceronis De Oratore Libros interpretari inciperet.



AMSTELODAMI,

Apud JOH. RIEUWERTS, Urbis, & Illuſtris Athenaei
Typographum. CIƆ IƆC LXXXIX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

KONINKLIJKE
BIBLIOTHEEK.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Omni Virtute ac Laude
Conſpicuis Viris,

JOHANNI CORVERO, NICOLAO OPMERIO,

Conſuli, Conſulari,

Muſarum & Studiorum

Fautoribus,

Athenaei Illuſtris

Curatoribus,

Digniſſimis, Meritiſſimis.

QUid fuerit apud Veteres Eloquentia, quid Priſci illi Oratores, Vobis, viri Ampliſſimi, qui pulcherrima Eorum ſcripta, &

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Marcum inprimis Tullium, aſſidua manu verſaſtis, ignotum eſſe non poteſt. Plures tamen ſunt hodie, qui non idem ſentiunt, neque eandem illam, quam Vos, tum de re ipſa, tum de iſto praeſertim homine, quo nihil mihi Natura edidiſſe videtur praeclarius, opinionem habent: & M. Tullium Ciceronem inſignem quidem cauſarum Patronum, & eximium in dicendo virum, ſed talem tamen fuiſſe exiſtimant,

Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι,

Neque tam multum ab iis diverſum, qui apud nos Oratorum nomine veniunt. Quin & eo nuper audaciae progreſſus eſt ſcriptor Gallicus, in horribili illo & ſacro libello, quem ſaeculum Ludovici *appellat, ut M. T. Ciceronem, ſi viveret hodie, non in ſecundo ac tertio genere Oratorum conſiſtere, ſed vix inter mediocres Fori Pariſienſis Patronos locum habere poſſe, affirmare non dubitaverit.*

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis!

Quam

Quam tamen ineptisſimi hominis inſolentiam carmine ſane pulcro Menagius, & praefatione ad Horatium nupera repreſſit Dacerius, ut plures praeterea alii. Neque enim hanc ferre poſſunt ſuperbiam, etiam in ſua gente, & ignorantiam plus quam puerilem, acutioris inter Gallos naſi, & in Veterum lectione verſati viri. Sed tamen ſparguntur iſta in vulgus, legunt haec juvenes, laudant Ephemerides, & malam de antiquis illis Heroïbus opinionem imbibunt, qui parum cognitos eos habent ac perſpectos. Huic ego hominum generi, & quicunque cum illis faciunt, obviam ire dicrevi. quos ſi emendare non poſſum, neque enim me omnes emendaturum confido, id ſane effecturum me ſpero, ut, ſi non aequius ac benignius, iniqui iſti & vitio creati judices, cautius certe inpoſterum ac prudentius, de Cicerone ſuffragium ferant. Ejus ego viri, ut & totius Eloquentiae veteris, cujus ille quoddam quaſi compendium, imaginem ac characterem, in habita a me nuper Oratione, depinxi.

Quam cum, turbido etiam coelo & alienisſimo
tempore, non audire tantum, ſed & auditam
laudare, amplisſimoque veſtro praeconio orna-
re dignati eſtis, non potui, Viri Amplisſi-
mi, non illud agnoſcere, & pro veſtro in
me favore, & prolixo illo erga litteras ani-
mo, non publicis vobis gratias agere. Ete-
nim cui deberi videbatur haec ipſa, jam
edita, jam, non amicorum tantum horta-
tu, ſed & Veſtro ſuffragio, publici juris
facta, Oratio mea, quam Vobis, Viri Do-
ctisſimi, & Amplitudini Veſtrae? Multis
me Vobis nominibus eſſe obſtrictum & ultro
& palam pronuntio: Sed nulla alia affe-
ctum erga Vos iſtum, aut venerationem exci-
tat potius, ut civilius loquar, quam inſignis
ille Veſter erga Litteras amor. Accedit,
quod hujus ipſius loci, Muſis & Apollini
conſecrati, Genii quidam ſitis, ac Tutelares
Dei. Accipite ergo, Viri Amplisſimi, A-
thaenei noſtri Illuſtris Curatores doctisſimi, hoc

a

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

a me qualecunque munuſculum, amoris erga Vos mei & obſervantiae teſtimonium; inque uſum & commodum, tum Publicae, tum Litterariae Rei, ſuaviter atque feliciter, quod reliquum aetatis peragite. Vovebam Amſtelodami, VII. Kal. Novembr. CIↃ. IↃCLXXXIX,

Amplitudini Veſtrae

Devotiſſimus cultor

PETRUS FRANCIUS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

PETRI FRANCII ORATIO DE PERFECTO & CONSUMMATO ORATORE.

QUando praeclare illud ac ſapienter à majoribus noſtris eſt inſtitutum, ut, quoties novi alicujus Auctoris explicationem aggrederentur, diſcipulis ſuis tum rei, de qua acturi eſſent, praeſtantiam; tum ipſius Scriptoris, quem exponere vellent, dignitatem; praeliminari aliqua oratione ob oculos ponerent; quo ſalutari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ſermone edocti juvenes & eruditi rem ipſam animo comprehendere, auctori pretium dicere, quid ę re ſua eſſet intelligere diſcerent, & ad ſtudia ſua promovenda alacrius multo ac vigilantius incitarentur: Dabitis veniam, Auditores, ſi praeſtantium horum ac prudentiſſimorum virorum exemplo & auctoritate hunc ego pulcherrimum ac laudatiſſimum morem fuero imitatus. Expoſito enim & explicato nobili illo Pliniano, qui Trajano dictus eſt, Panegyrico, & finito praelectionum mearum curriculo, cum nova mihi eſſet eligenda materia, & M. Tullii Ciceronis clariſſimos de Oratore libros Auditoribus meis exponere conſtituiſſem, (ut, cum altero biduo praeſtantiores Ejusdem Orationes praelegerem, altero viam, qua eò itur, illis indicarem) horum tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

men explanationem inchoare non potui, quin aliqua vobis praefarer, Auditores, & hos audiendi cupidam juventutem hac quaſi promulſide invitarem. Et quid, quaeſo, convenientius, Auditores, aut appoſitum magis, quam, ubi eloquentiſſimas M. Tullii Orationes exhibeo, de Eloquentia dicere? ubi pulcherrimos ac praeſtantiſſimos Ciceronis de Oratore Libros expono, de Perfecto ac Conſummato Oratore vobiſcum loqui? Rem ſane arduam difficillimamque ſuſcipio, dum eum me oſtenſurum polliceor, quem ipſe quaerit, nec invenit, Cicero; quem nunquam vidit Antonius; qui nunquam fuit fortaſſe, & animo magis, ut Platonis Reſpublica, aut Stoicorum Sapiens, quam reipſa comprehendi, ac mentis potius; quam corporis oculis videri poteſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Mirifica certe, & omnium animadverſione digniſſima res eſt, plures in omnibus artibus, quam in dicendo, admirabiles extitiſſe: cumque tot Imperatores, tot Rerumpublicarum Rectores, tot Philoſophos, Grammaticos, Muſicos, tot illuſtres Poëtas orbis terrarum protulerit; vix omnibus ſoeculis unum aut alterum excellentem inventum Oratorem fuiſſe. Majus nimirum eſt quiddam, quam homines opinantur, bonus Orator, & è pluribus artibus ac diſciplinis collectum aliquid atque conflatum. Nam cum huic uni ſtudio incumberent Veteres, tot haberent Magiſtros, tot propoſita praemia; quid cauſſae, quaeſo, cur ex omni memoria hominum, temporum, civitatum tam exigua Oratorum reperta ſit copia, niſi rei ipſius magnitudo, ac difficultas? Rerum enim plurimarum ſcientia,

omni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

omnibus animi & corporis dotibus ſit ornatus oportet, qui veri Oratoris nomen affectet. Ex iis enim univerſis Eloquentia conſtat, in quibus excellere ſingulis permagnum foret. Ne miremini itaque, Aud. rem eſſe rariſſimam, optimum Oratorem, eumque dum quaerimus, dum vobis oſtendere nitimur, rem a nobis difficilem, arduamque tentari. Tentabitur tamen, &, ſi, quod voluero, minus illud effecero, perficiam id ego profecto, ut, quid ſit Eloquentia, quid bonus Orator, quis ille quem deſignavero, intelligatis. Et certe, ſi Graecorum ac Romanorum nunquam ſcripta evolvimus; ſi eorum mores, inſtituta, Remp. ignoramus; quid ſit Eloquentia, ſcire ſane non poſſumus. Admirabile equidem atque incredibile quiddam eam artem fuiſſe oportet, quae omnem Remp. gubernaret, quae populum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

quae Magiſtratus regeret, quae animis hominum, quaſcunque vellet, opiniones inſereret, inſitas eradicaret, quae voce, quae geſtu acerbiſſimas ſeditiones extingueret, timidis animum, animoſis timorem incuteret, quae fortitudinem militum ore imperatoris accenderet, & ad omnem eos virtutem ac gloriam excitaret? Qua in arte jamdudum neglecta, jamdudum amiſſa, cum excellerent tantopere Veteres, &, ut excellerent, laborarent; non aliunde, mihi credite, ipſius rei cognitio, ipſius artis perfectio hauriri debet. At quis tandem ille Perfectus ac Conſummatus Orator? Quis, inquam, alius, niſi is ipſe, quem vobis exhibeo, Auditores; quem vobis praelegam, Studioſi; M. Tullius Cicero? quo uno nihil Natura melius, nihil unquam perfectius conſummatiuſque

pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

produxit. Ille eum, quem quaerimus, invenire non potuit; nos in illo inveniemus: & nec ſibi nec Antonio viſum in illo ipſo videbimus. Tot profecto ac tantae in hoc Viro confluunt concurruntque virtutes, ut aut Hic aut nemo Perfecti Oratoris nomen mereri poſſit. Etenim non hominis amplius, non Oratoris, ſed Eloquentiae nomen dudum factus eſt Cicero: quem qui intelligit, veram Eloquentiae, & Perfecti Oratoris ideam animo comprehendit. Quam ut recte formemus tria haec praecipue conſideranda exiſtimo: quis dicat, apud quos dicat, quid & quomodo dicat: in eo autem qui dicit; haec univerſa ineſſe debere: Divinum ingenium, acre validumque judicium, fidelem memoriam, ſingularem in diſcendo ardorem, & incredibilem diligentiam; ſummam dein-

de

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

de doctrinam, Philoſophiae, atque Rhetoricae, Hiſtoriarum, Juris, Sermonis, Antiquitatis notitiam; ſummam praeterea probitatem, auctoritatem; vocis denique, manuum, ac totius corporis aptam conformationem; & continuam inſuper tum in ſcribendo tum in orando exercitationem: quae qualia in Cicerone fuerint, conſideremus. Summa autem ſunt omnia: ut, veluti ad Romanum imperium conſtituendum Fortuna & Virtus, ad hunc quaſi hominem effingendum Natura atque Doctrina contendiſſe quodammodo videantur. Nam ſicuti omnia, quae a Natura optari; quae per humanam induſtriam ac diligentiam acquiri poſſunt, poſſedit pleniſſime Cicero, ita nec iis caruit, quae extra nos poſita, & Fortunae bona ſapientes putant. Ut enim qua in patria, quibus parentibus, quo tempore,

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

quo corpore naſcar, qua cura alar, quibus artibus ac diſciplinis inſtituar, quos honores, quas divitias comparem, non in mea poteſtate eſt collocatum: ſic magno tamen illa omnia ad magna ac praeclara nitenti ſunt adjumento. Quod de his quereretur, quod cum Fortuna expoſtularet, nihil habuit Cicero. Ille enim etſi non Romae, in Italia tamen, & pulcherrima Italiae parte; non fumoſa Majorum imagine conſpiciendis, honeſtis tamen parentibus natus, ſumma cura educatus, omnibns artibus inſtitutus, ad ſummum in terris imperium ſua ſibi viam virtute munivit.

Arpini itaque, (ut rem ab origine repetam, & à primo vitae limine clariſſimi hominis vitam, mores, ac ſtudia inveſtigem; ut, quibus ille viis, exercitationibus, artibus ad hoc eloquentiae culmen

perveneriṭ, ipſi videre, &, num is verus ac perfectus Orator haberi debeat, judicare poſſitis) Arpini, inquam, celebri Campaniae urbe, quam ſuis ille natalibus clariorem multo ac celebriorem effecit, vel in Arpinati potius villa, ubi aetatem in ſtudiis agebat Pater, inter Fibrenum & Lirim, anno ab V.C. ſexcenteſimo octavo & quadrageſimo, C. Atilio Serrano, Q. Servilio Caepione Coſſ. III Non. Jan. M. Tullio Cicerone Arpinate, matre Romana Helvia, lucem videre cepit magnum hoc Eloquentiae lumen. quam ille, honeſtam quidem, at ignobilem tamen, & laude populari atque honoris ſplendore carentem, Catonibus, Catulis, Scauris, aliisque compluribus nobiliorem, Ciceronum familiam reddidit. Senſit ejus indolem Pater, vir prudens ac litteratus, & multo eum ſtudio educavit, multis ipſe diſciplinis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

nis erudiit; magnumque tum ſibi, tum ſuis, tum populo inprimis Romano, quod nutricem ejus divinitus audiviſſe commemorant, nutrivit emolumentum. Auctore in ſtudiis Craſſo utebatur Pater, & ea didicit Cicero, quae L. Craſſo placebant, ab iisque doctoribus, quibus ille utebatur, eruditus, & à prima pueritia ab Aulo Licinio Archia, ſummo in litteris viro, inſtitutus fuit. Quo ille tempore tantum in ſtudiis progreſſum fecit, ut aequalium multorum parentes ad eum videndum concurrerent. Ab anno infantiae quinto, qua aetate vix ulli rei capaces eſſe alii ſolent, jam incredibili diſcendi ſtudio calebat Noſter, adeo ut freno, non ſtimulis uti debuerit Pater, quo ardorem hunc retineret potius, quam inſtigaret. Graecis deinde litteris, unde ſtudiorum ſuorum initia ſumebant Romani, imbutus eſt puer; & in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

reliquis artibus ac diſciplinis praeſtantiſſimos atque excellentiſſimos habuit docendi Magiſtros, Phaedrum, Philonem, Molonem, Diodotum Sicilienſem, per quos ille tum in Philoſophia tum in Oratoria ita profecit, ut intra octavum decimum aetatis annum omnium fere ſcientiarum curriculum, quae aliquem in Eloquentia uſum habere poſſent, mira ingenii felicitate percurreret. Hujus nimirum amore immane quantum incaleſcebat: huc omnes ſuos conatus, omnia ſtudia dirigebat: hanc unam ſibi ad honores ad dignitates animadvertebat viam. Ita enim erat Romana conſtituta Reſp. ut nulla illic cuiquam, niſi per artem militarem aut eloquentiam, ad ullos honores ac dignitates pateret via. His gradibus in Curiam adſcendebant, & ſummos in Rep. Magiſtratus etiam Plebeji, etiam Novi, ſibi comparabant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

rabant. Videbat hoc Cicero, videbat pater, & prope ſexto ac decimo aetatis anno, ut fieri Romae ſolebat, natum in Forum deduxit, ut ad praeſtantiſſimorum virorum exemplum ſe conformaret. Non ille ſpem patris fefellit, ſed & ejus & omnium de ſe opinionem longe ſuperavit. In jure diſcendo Scaevolam, clariſſimum jurisconſultum, quotidie ſequebatur, nec a ſenis latere diſcedebat. Audiebat non minus optimos ac diſertiſſimos, quibus abundabat haec aetas, Oratores: P. inprimis Sulpitium, placentem tum maxime, & in Tribunatu ſuo ſaepiſſime concionantem: cujus ille dicendi genus, tam feliciter aemulabatur, ut eum alterum prope Sulpitium crederent. Sic in Philoſophicis, ſic in Oratoriis artibus inſtitutus, non privatim interim ſe exercere neglexit, &, ut primum Graeca intelligere didicit, an-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

no aetatis ſexto ac decimo Glauci Pontii Poëma compoſuit; ſequente, Aratum tranſtulit: Paullo poſt Platonis Protagoram, Oecumenicum Xenophontis, aliaque convertit: incredibili enim amore cuncta diſcendi ac complectendi incendebatur, & ad eum, quem in animo habebat, Oratorem formandum, omnia undique congerebat. At poſtquam jam ſatis & in Philoſophia & in Eloquentia domi profeciſſe ſe credidit, & partim Latinè, partim Graecè declamando ſe abunde exercuit, ad cauſſas agendas ſe contulit, & anno aetatis ſexto atque viceſimo, M. Tullio, Cn. Cornelio Coſſ. M. hic noſter Tullius primam pro S. Roſcio parricidii reo Orationem habuit, qui & plurimum ſibi apud populum gloriae, apud Sullam invidiae concitavit. cum enim illi qui tum excellebant maxime, ne Sullam

Dicta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Dictatorem offenderent, Roſcii cauſſam negligerent Oratores, ſolus intrepido animo, & juvenili calore plenus ejus defenſionem ſuſcepit Cicero, magnamque tum Sullae ipſius, tum ejus liberti Chryſogoni, qui multum apud hunc poterat, offenſam contraxit. Hanc ergo tempeſtatem evitans atque declinans, quaſi medicorum conſilio valetudini conſulturus, octavo & viceſimo aetatis anno Forum Urbemque deſeruit, & in Graeciam, atque omnis eloquentiae ac ſapientiae ſedem Athenas contendit. Ibi aliquamdiu moratus, & clariſſimis doctiſſimiſque Philoſophis familiariter uſus, omnes Philoſophorum ſectas animo perluſtravit, & à prima adoleſcentia cultum, ſemperque promotum, Philoſophiae ſtudium cum Antiocho, nobiliſſimo prudentiſſimoque Philoſopho, renovavit.

Neque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Neque interim in Eloquentiae ſtudio, quo ardebat inprimis, exercere ſe deſtitit, & Syri cujuſdam Demetrii diſciplinae ſe tradidit. Totam deinde Aſiam diſcendi ſtudio pervagatus cum viris ubique clariſſimis, cum Menippo Stratonicenſi, Oratore totius tum Aſiae diſertiſſimo; cum Dionyſio, AEſchylo, Xenocle, exercebatur. Nec iis etiamnum contentus (quid enim inſatiabilem ejus expleret cupiditatem?) ad veterem ſuum Magiſtrum, quem bis Romae audiverat, Rhodienſem Molonem, Oratorem Rhetoremque clariſſimum, Rhodum contendit; eique ſe reformandum ac recoquendum dedit. Hic redundantem nimium, & juvenili quadam licentia quaſi extra ripas fluentem coercuit Ciceronem: hic Graecè declamantem audivit: & reliquis omnibus obſtupefactis ac Coelo eum tol-

len-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

lentibus, cum triſtis aliquamdiu ac tacitus conſediſſet, hoc ipſum Cicerone mirante atque indignante, nobilem hanc vocem profudit: Te quidem, o Cicero, inquit, laudo mirorque, Graecorum vero Fortunae me miſeret, cum ad populares tuos Romanos, re dudum Bellica claros, Doctrinae etiam & Eloquentiae gloriam, quae nobis ſola reſtiterat, ſis tranſlaturus. Ita impenſo peractoque biennio, poſt Sullae Dictatoris deceſſum, & corpore confirmatior, & omnibus diſciplinis inſtructior, anno aetatis triceſimo Romam redit. Non ibi ille ceſſandum, nec in umbra & otio vitam tranſigendam putavit: ſed plures ac varias cauſſas orando, & eam, quae eſt pro Quinctio, Orationem habendo, reliquos, qui tum erant in Foro, dicendi gloria antevertit. Major jam erat Cice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ro, quam ut privatus eſſe poteſt: quare Quaeſtorem Urbanum, qui primus ad honores gradus erat, Sicilienſem deinde Quaeſtorem, primo ac trieeſimo aetatis anno, populus eum Rom. cunctis ſuffragiis declaravit: qua in Provincia ita ſe geſſit, ut Siculis omnibus jucundam ac diuturnam Quaeſturae ſuae memoriam, nominiſque relinqueret. Anno deinde ſequente è Sicilia Romam rediit: Forum preſſit, in oculis hominum habitavit; multaſque praeclaras ac luculentas cauſſas egit, & eam inter alias quae pro Q. Roſcio legitur. Sic in Foro ac forenſibus cauſſis transacto quinquennio, jam anno aetatis trigeſimo ſexto deſignatus AEdilis Verrem, qui Praetor in Sicilia fuerat, Siculoſque vexaverat, precibus eorum motus, contra Q. Hortenſium, qui ejus defenſionem ſuſceperat, ſumma aucto-

auctoritate atque eloquentia praeditum, contra Scipiones, Metellos, aliosque clariſſimos viros, in judicio accuſavit: eoſque prima & ſecunda actione ita confudit, ut nihil quod contra diceret haberet Hortenſius, in exilium abiret Verres. Anno vero ſequente iisdem illis, quos in judicio vicerat, Hortenſio Metelloque Conſulibus, iisdem, quibus Quaeſturam, ſuffragiis, priorem adeptus eſt AEdilitatem. Obſervabant tum Ciceronem, non minus quam Craſſum propter divitias, ob gloriam militarem Pompejum, duos civitatis clariſſimos ac potentiſſimos viros, tum plures alii, tum & ipſe Pompejus. Qua cum eſſet jam fama, & nulli in Urbe honores, quo adſpirare non poterat, eſſe judicarentur, cum pluribus illuſtribus ac nobilibus Candidatis Praeturam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ambiit; & elapſo poſt AEdilitatem biennio, anno aetatis quadrageſimo, quo fieri Praetores ſolebant, ter Praetor primus Centuriis cunctis renuntiatus eſt. Quo in Magiſtratu quaeſtioni de pecuniis repetundis praepoſitus, C. Licinium Macrum, Praetorium virum, qui & per ſe & fautorum ſuum Craſſum plurimum in Rep. poterat, furti convicit, Judicumque ſententiis condemnavit: quae res C. Licinio necem, incredibilem Ciceroni gloriam attulit. Cauſſas praeterea multas egregiaſque ſuſcepit hoc tempore, & eam habuit, quae pro Fontejo, Caecina, Cluentio, & luculentam illam pro lege Manilia Orationem. Sed ad Conſulatum properabat jam Cicero, quem L. Cotta, L. Torquato Coſſ. Praetorius petiit, ſequente anno obtinuit. Competitores partim ex Pa-

tri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tricio, partim Plebejò ex ordine habebat complures, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam, C. Antonium, L. Caſſium Longinum, Q. Cornificium, C. Licinium Sacerdotem. Favebat populus, obverſabantur, ut homini Novo, Optimates, communi mox omnes ſuffragio, ob imminens à Catilina periculum, ſummum civitatis imperium Huic potiſſimum detulerunt. Anno ergo ab Urbe condita ſexcenteſimo ac nonageſimo, aetatis ſuae ſecundo & quadrageſimo, creatus cum Antonio Conſul Senatum ac bonos omnes Orationibus de lege Agraria & in Senatu & ad Populum habitis Kal. Jan. confirmavit: Rullum, & reliquos ejus legis fautores perterruit; utque Tribus eam abdicarent, effecit. Legem deinde Roſciam Theatralem, quam L. Roſcius Otho duobus annis ante-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

quam Praetor fieret Cicero Tribunus tulerat, ut à plebe diſcreti ſederent in Quatuordecim Equites, egregia Oratione, quam tertiam conſularem vocat, ſuaſit ac comprobavit, atque in Theatro factam Plebem inter & Equites ſeditionem compeſcuit. C. deinde Rabirium perduellionis reum, & interpoſitam, annis ante quadraginta, Senatus pro eo Auctoritatem defendit. Quintam mox conſularem, ut ipſe appellat, de proſcriptorum liberis habuit, qua artificioſiſſime eos circumvenit, & a Magiſtratibus ambiendis removit. Injuſtum id quidem affirmans honeſtis parentibus natos à Rep. ſubmoveri, ſed, niſi legibus Sullae ſtantibus, ſtare civitatem non poſſe. Provinciam tum Macedoniam Galliâ cum Antonio permutavit, L. Tulliam de ambitu tulit, eandemque Provinciam mox

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

mox Q. Metello Celeri traditam, ſexta conſulari Oratione habita, in concione depoſuit. Catilinaria hinc Conjuratione gliſcente nobiliſſimas illas ac celeberrimas Catilinarias, partim in Senatu, partim ad populum, habuit: Catilinam ejecit: ſeditionem extinxit: conjuratos comprehendit; &, Scto Non. Decembr. facto, in carcere ſtrangulavit. Eodem fere tempore eas quae pro Muraena, Sulla, Flacco, & elegantem illam pro A. Licinio Archia dixit Orationem. Sed nimiam Ciceronis gloriam ferre non poterant ejus inimici, & quidvis, ut ei officerent, machinabantur. Plebis tum Tribunatum obtinebat, & incredibili in eum odio conflagrabat, eundumque, ut Conſulatum depoſuit, quaſi qui cives Romanos injuſtè necaſſet, accuſare tentavit Clodius. Virum optimum deſerebant amici,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

amici, prodebant invidi, perdere ſtatuebant ſcelerati: Itaque cum nec à Piſone Gabinioque Conſulibus, nec à Pompejo, qui ruri ſe continebat, auxilium impetraret, anno ab V. C. ſexcenteſimo quinto & nonageſimo ab Urbe ceſſit, & ſe ad meliora Reip. tempora reſervavit; perque Campaniam Siciliam verſus, mox inde Brunduſium, Dyrrachiumque profectus ad Macedoniae Quaeſtorem Plancium, Theſſalonicamque contendit. At diu in ſordibus vir ille eſſe non potuit, & cito defenſorem ſuum deſideravit Reſpubl. Revocatur igitur, & ſexto decimo poſt exilium menſe majore cum gloria Romam redit, quam inde cum ignominia fuerat expulſus. Domum, quia ſuam everterat Clodius, Q. Fratris ingreſſus, ſequente die ampliſſimas & Populo & Senatui gratias

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tias egit, & inſignem illam pro Domo habuit orationem. Secutae ſunt non multo deinde poſt ea quae de Reſponſis Haruſpicum, quae pro Plancio, Sextio, & in Vatinium, quae pro Caelio, Balbo, quae de Provinciis Conſularibus, &, quae eam ſubſequitur, in Piſonem. Occiſo mox à Milone Clodio, Milonis quidem cauſſam ſuſcepit, ſed ita Clodianorum acclamatione exceptus fuit, ut nec ea, qua ſoleret, conſtantia diceret, & in exilium pelleretur Milo: cujus rei indignatione commotus aliam pro eodem conſcripſit orationem, tam diſertam, tamque magnificam, ut jure prima cenſeri poſſit. Rabirium exinde Poſtumum, repetundarum reum, defendit. Lucretii quoque Poëmata emendavit: libros de Oratore perfecit: libros Augurales; &, poſt eos de Legibus; Partitio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

titiones item Oratorias, Brutumque compoſuit. Ac ne interim ſine honore eum fuiſſe credatis, poſtquam Frumentariae rei praefectus, & in P. Craſſi, qui apud Parthos perierat, locum, Augur eſſet creatus, quem Praetor recuſaverat, poſt exilium, ut quam ornatiſſima pro eo intercederent Senatus Populique ſuffragia, honorem ſuſcepit, & anno ab V. C. ſecundo ac ſeptingenteſimo Ciliciam ſortitus Provinciam eſt. Qua in Provincia ita ſe temperanter, ita fortiter geſſit, ut omnibus eſſet deſideratiſſimus, & rem R. plurimum promoveret. Unde prid. Non. Jan. L. Cornelio Lentulo, C. Claudio Marcello Coſſ. biennio poſt domum reverſus in ipſam flammam civilis diſcordiae incidit. Quam cum ille ſopire, & Caeſarem atque Pompejum fruſtra inter ſe reconciliare ten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tentaſſet, cum Pompejo, hoc eſt cum Republica ſtetit: ab ipſo Caeſare, poſt cladem Pharſalicam exceptus nihilominus honorificentiſſimè. Quo belli Pompejani reliquias perſequente, ac per totum terrarum orbem belligerante, tacitus conquievit, & cum Libris in gratiam rediit: ac pulcherrimos illos tum Rhetoricos tum Philoſophicos, Oratorem, & de optimo genere Oratorum, de Senectute, de Amicitia, de Finibus, de Divinatione, de Natura Deorum, Academicarum, & Tuſculanarum Quaeſtionum, Libros compoſuit. Demoſthenis praeterea pro Cteſiphonte, & contrariam AEſchinis Orationem convertit: ut & Timaeum Platonis. Victore deinde ex Africa Caeſare redeunte inſignes illas pro M. Marcello, pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Q. Ligario, pro rege Dejotaro defenſiones ſuſcepit. Poſt cujus mortem librum de Fato, & eos, quos Franciſcus etiamnum Petrarcha ſe legiſſe teſtatur, de Gloria libros, commentarium de Virtutibus, Topica, Paradoxa conſcripſit: & aureos illos Officiorum libellos, prius inchoatos, abſolvit. Interfecto igitur Caeſare, ne de Libris magis, quam de Rep. eum cogitaſſe putetis, pacis iterum auctor fuit, & ſempiterna omnia diſcordiarum oblivione delenda cenſuit. Contra reluctabatur, & in ulciſcendo Caeſare, tum veteri in Ciceronem odio, tum pulcherrimis illis Philippicis exacerbatus, totus erat Antonius: ei adjungebat ſe Lepidus: quorum ut furori reſiſteret fovebat Octavium Tullius, cujus ſe juvenis mentem ac voluntatem ſatis habere perſpectam ar-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

arbitrabatur. At illes, inita cum Antonio ac Lepido Societate, ſana Senis conſilia repudiare, ipſum deſerere cepit, & in ferali illa ac terribili Tabula ſua tandem manu proſcripſit. Conſulere ſibi voluit Cicero, ſed, inſequentibus ipſum Antonianis, prope urbem Cajetam deponi lecticam juſſit, cervicem immotam exeruit, & quarto ac ſexageſimo aetatis anno forti ac conſtanti animo fatalem ictum recepit.

Videtis hic, Auditores, ea qua potui brevitate, expreſſam vobis ac delineatam Ciceronis vitam, hoc eſt Perfecti Oratoris imaginem. Quid enim in ea deſideratis? Ingenium hominis, qui a primo pueritiae tempore omnes aequales ſuperavit, eorum parentes ad ſe videndum impulit, ac concitavit? qui omnes prope ſcientias ſeptem & decem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

annorum ſpatio percucurrit? qui ad omnia capax in omni fere Diſciplinarum genere aequali ſit laude verſatus! Judicium, inquam, ſine quo nemo unquam recte perſuaſit, hoc eſt, non quae dici poſſint, ſed quae dici debeant, dixit? qua tamen ille arte dicendi ac perſuadendi palmam omnibus gloriamque praeripuit? An ejusdem Memoriam, qui plures Orationes habuit, quam quisquam conſcripſit? qui plurimarum non ſolummodo rerum ſcientiam, ſed & locorum, in quibus habitabat nobiliſſimus quisque, & regionum, in quibus praedia poſſidebat, & amicorum, quibus uteretur, & vicinorum notitiam, firma ac fideli complexus memoria fuit? An ardorem potius & diligentiam, cum ab anno infantiae quinto tanto diſcendi ſtudio deſiderioque flagraverit, ut immen-

ſum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ſum ejus ardorem ſopire aliquamdiu, ac temperare debuerit Pater? cum nullo unquam tempore, nec in otio, nec in negotio à diſcendò quieverit? cum omnes, unde aliquid diſceret, Magiſtros quaeſierit? omnes terrarum oras diſcendi ſtudio perluſtraverit? & quicquid uſquam Athenis, quicquid Antiochiae, aut Rhodi, excellens & egregium eſſet, uno ſibi biennio, ſummo mentis ardore, & incredibili diligentia comparavit? Jam vero quae in eodem Doctrina & Eruditio, qui in omni Scientiarum genere ita excelluit, ut nemo magis? qui omnes Philoſophiae partes Dialectica, Ethica, Phyſica, Geometrica, Aſtronomica eſt pervagatus? qui à Diodoto & Poſidonio Stoicam, à Phaedro & Zenone Epicuream, à Philone & An-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Antiocho, Academicam, à Cratippo, Staſea, & Piſone Peripateticam Philoſophiam didicit? qui, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatiis, Oratorem ſe factum ipſe profitetur? qui tot & tam excellentes in re Philoſophica Libros reliquit, ut ſummus ac Perfectus Philoſophus, & Romanae Philoſophiae Princeps vocari merito poſſit? Nam quid ego de Rhetoricae ſtudio dicam, altero Eloquentiae fundamento, quam ab Apollonio artem, à Syro Demetrio, aliisque Rhetoribus hauſit? quam in libris Rhetoricis praecipit, in Orationibus exhibet? Quid de Hiſtoriarum cognitione, quae incredibilem orationi gratiam, fidem, auctoritatemque conciliat, quas ille tum univerſas, tum Graecam inprimis & Romanam, quam & ipſe compoſuit, tenebat memoria optime?

Quid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Quid de Juris utriuſque notitia, cum humanum à Scaevola Jurecconſulto, divinum à Pontifice Scaevola hauſerit? Quid de Graecae linguae peritia, quam ab Archia didicit, qua declamavit, è qua multa convertit, qua ſuum ipſe Conſulatum conſcripſit? Quid de Latinae, quam ita calluit, auxit, amplificavit, ut illius merito conditor haberi poſſit? Quid de Antiquitatis ſcientia, quam ille omnem penitus, interioremque cognoverat? Quid de Poëticae praeterea ſtudio, quam ille tum in inveniendo, tum in exprimendo, tum in animi motus concitando mire ad hanc Oratoriam facere credidit? qua ſemper incaluit? qua multa confecit; multoſque, qui ipſum praeceſſerant, antevertit? Neque enim aut tam parum excellens, quam multi judicant, in re Poëtica Cicero; aut tam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

parum Oratoriae arti conveniens, quam nonnulli exiſtimant, haberi Poëtica debet; cum & ille utraque valuerit, & altera alteri ſingulari ſit adjumento. Quis hoc eodem denique vel in ſcribendo vel in orando exercitatior, qui à prima adoleſcentia in Poëticis, Philoſophicis, Oratoriis artibus plurimum operae poſuit? qui ex Arato, Platone, Xenophonte, Demoſthene, tam multa convertit? qui & Latino ſermone & Graeco ſcribendo quotidie & declamando ſummum illum ac Perfectum Oratorem aſſidua exercitatione formavit? Jam autem, cum, praeter Doctrinam eximiam, eximia non minus in Oratore Probitas requiratur, ut fidem ei habere, & perſuaderi poſſit auditor, cum & virum bonum eum eſſe videt, & nihil, niſi ex animi ſui ſen-

ten-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tentia, eſſe dicturum jam ante ſibi perſuadet, in quo ea unquam major apparuit, quam in Cicerone? Quis aut religioſior erga Deos, aut honeſtior hoc eodem erga homines fuit, qui ſummam in ſcriptis religionem, ſummam honeſtatem & ipſe ſpirat, & aliis paſſim inculcat? qui vita ac moribus ſuis talem ſe fuiſſe oſtendit? qui neminem accuſavit, niſi ſceleratum ac perditum, & Reip. inimicum, & Verri, Catilinae, Piſoni, Vatinio, Antonio ſimilem? neminem vero defendit, niſi probum, inſontem, innoxium? qui nihil unquam aut dixit aut fecit, niſi quod eum honeſtiſſimum virum, & Patriae ac Reip. amantiſſimum eſſe monſtraret? qui domi, qui foris, qui publicè, qui privatim eandem ubique probitatem exercuit? Quis majore, quam ille, juſtitia jus dixit unquam, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

C. Licinium Macrum, potentem in Rep. virum apud judices accuſavit, furtique convicit? Nulla ille aſperitate Vatinii, nulla gratia Macri, nulla potentia Craſſi deterrebatur: & ut reliquorum imagines judicum Thebis ſine manibus, ea vero, quae ſummi judicis, clauſis inſuper oculis conſpiciebatur, quo eos neque ullis muneribus capi, neque ullo hominum vultu commoveri debere ſignificarent: ita caecam ille Juſtitiam eſſe ſciebat, & boni ubique judicis partes implebat. Quis Majorem, inquam, hoc ipſo, probitatis ſuae opinionem populo R. incuſſit, qui ob id unum factus eſt Conſul, quod eſſet vir probus? Nam cum interituram eſſe Rempubl. ſi in Antonium & Catilinam incideret, qui prius ei adverſati fuerant, animadverterent Optimates, neque quenquam aut virum me-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

meliorem, aut, qui conatibus Catilinae reſiſteret, aptiorem Cicerone conſpicerent, communi eundem conſenſu Conſulem declararunt. Ille vero & Agrarias leges, quae ad largitionem atque Tyrannidem erant compoſitae, diſſuadendo, & Proſcriptorum liberos, qui ſtatum Reip. convulſuri eſſe videbantur, ab honoribus ſemovendo, & nefariis Catilinae molitionibus obviam eundo, vigilando, cavendo, & ſceleratiſſimi hominis Conjurationem, ac totum illud ſeminarium Catilinarium extinguendo, talem ſe, qualem eum eſſe crediderant, hoc eſt, optimum atque honeſtiſſimum virum, eſſe comprobavit, & ab impendente periculo Romam, Italiam, Remp. liberavit. Quae cum alieno ab eo animo eſſe videretur, & ſoſpitatorem ſuum, inſontem, inaccuſatum, in exilium pelleret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

leret, magnum quidem ei dolorem inuſſit, quod domo ac liberis, amicis ac conſanguineis, tectis Urbis ac moenibus, honoribus ac dignitatibus, & cariore his omnibus Patria, quam ex fati faucibus eripuerat, ſe cariturum videret, at priſtinum ejus animum, & ingenitum erga Patriam ac cives ſuos amorem non immutavit, nec ullo à ſe pacto alienavit. Nam cum, ut in Urbe maneret, multi amicorum ſuaderent, & abunde ei auxilii, quo Clodio ſeſe opponeret, & ab illis & ab omnibus bonis ſuppeditaretur, Urbem relinquere maluit, quam perturbare: ne vi atque armis ſalutem ſuam defenderet, qui ſine ferro Publicam defendiſſet. Bello vero civili ingruente eundem ille amorem in Patriam animumque retinuit. Nihil enim prius malebat, quam pacem; de qua

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ut deſperavit, neutri ſe parti addixit, & in medio cum Rep. ſtetit. Habebat ille, quem fugeret; non habebat, quem ſequeretur. nec enim Caeſarem Urbem oppugnantem, nec Pompeium eam deſerentem probabat. Poſtremo tamen ad Pompejum, Pompejique exercitum tendit: ubi cum imparata omnia, & nihil boni, praeter cauſſam, offendiſſet, pacem iterum ſuaſit; quam cum repudiaſſet, & cum tirone ac collectitio milite infeliciter contendiſſet Pompejus, à bello diſceſſit, & in Italia ſeſe domique continuit. Atque idem ille neutram partem ſecutus utrique tamen gratiſſimus fuit: nam & à Caeſare ex AEgypto redeunte prope urbem Brunduſium eſt exceptus magnificè, & ipſe eum ex Hiſpania revertentem rure ſuo excepit.

Quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Quo deinde, ſe inſcio atque ignaro, noverant enim tenerum ejus & honeſtum animum Brutus & Caſſius, mortuo & interempto, paci iterum ſtuduit, & aeternâ omnia oblivione oblitterare conatus eſt. Brutum vero, ut Romae maneret, Reip. ſtatum componeret, Urbemque defenderet, eſt cohortatus, & eundem, quem ſemper, pro Patria ac civibus ſuis amorem oſtendit. Neque vero unquam, aut de fovendo Octavio cogitaſſet, ſi fax & turbo illius ſaeculi, quod volebat Caſſius, amotus fuiſſet Antonius, aut cogitavit etiam, niſi ut ſceleratis Antonii machinationibus eum opponeret. Qualem autem ſe Romae, eundem ſeſe in Provinciis praeſtitit. Nam quid ego Sicilienſem Quaeſturam commemorem, cum negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus, municipibus libe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

liberalis, ſociis abſtinens, omnibus viſus eſt in omni officio diligentiſſimus? Quid res in Cilicia geſtas, ubi cum eſſet Proconſul jucundus omnibus, nemini moleſtus fuit, nemini iratus: adeo ut vix ulla domus tanto conſilio aut tanta diſciplina regi ac gubernari potuerit, quam iſta tota Provincia? ubi Provincialium coenas, ſtatuas, fana, & oblatos ab iis honores recuſavit? ubi non moderati tantum, ſed & fortis viri, & ſtrenui imperatoris nomen obtinuit, latrones ex Amano dejecit, inſignem ad Iſſum victoriam peperit, Pindeniſſum cepit, totamque Provinciam perpacavit: ſic ut integritatis, juſtitiae, clementiae, fidei teſtimonium Cato; fortitudinis etiam Senatus daret, Supplicationemque decerneret? Quid quod non ſeveriſſimus tantummodo Cato, non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ſenatus, orbis terrarum graviſſimus ſanctiſſimuſque conſeſſus, ſed & ille qui eum proſcripſit, hanc de eo ſententiam tulit. Quippe cum unum è Ciceronis libris, quos cum auctore proſcripſerat, in nepotis ſui manu comprehendiſſet Auguſtus, Evolve, inquit, hunc diligenter, vir enim ille doctiſſimus & Patriae ſuae amantiſſimus fuit. Quid de interiore porro ejus animo dicam, qui omnia dona a Siculis, a Cilicibus ipſi oblata, qui omnes honores, quos à Caeſare & ab Antonio impetrare potuiſſet, generoſo animo repudiavit? qui boni ubique civis, patris, mariti, amici perſonam ſuſtinuit? qui in gratiam filii ſui pulcherrimos illos Officiorum libros conſcripſit, in iisque tum honeſtatis ipſius imaginem, tum animi ſui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

characterem ipſe depinxit? Quae cum inter ſe confluerent ac concurrerent omnia, fieri non potuit, quin ex ſumma illa Doctrina pari cum Probitate conjuncta, non minus, quam illae, futuro Oratori neceſſaria reſultaret Auctoritas. quae certe tanta in hoc viro fuit, quanta nunquam in ullo. Cum enim & quae vellet, perſuadere poſſet, neque quicquam, niſi quod è Rep. eſſet, perſuaſurus eſſe videretur, facile omnes aſſentiebantur, & ſumma erat ejus in dicendo Auctoritas. Hunc, ut unicum ſuae ſalutis auctorem, unicum ejuſdem praeſidium, ſuſpiciebant. Hic, Caeſare & Pompejo occiſis, unus in Rep. poterat omnia. Neque quiſquam ullo unquam tempore tantum Romae auctoritatis habuit, quantum tunc temporis Cicero.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Hunc, Hirtio Panſaque Conſulibus ad Mutinam caeſis, victoque ibidem per Octavium fugatoque Antonio, quoniam ſalutaribus Hujus conſiliis id accidiſſe credebant, domo ſua eductum, triumphantis in modum, in Capitolium uſque Pop. R. eſt proſecutus. Hujus unius teſtimonium ignotum Populo Octavium ad ſummos honores evexit. Hic ſummos denique ſibi ipſi honores vindicare, & totius imperii Rom. arbiter ac moderator eſſe potuiſſet, ſi auctoritate iſta uti, & ſibi potius, quam Reip. ſtudere voluiſſet. Quem cum in eo amorem Patriae ac Reip. perennem atque continuum, & nullo unquam tempore intermiſſum animadverteret Populus R. eundem illum fovere, ejus auctoritatem amplificare, omnes in eum honores ac dignitates, titulos, opeſque

con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

congerere, & amore mutuo proſequi optimum & amantiſſimum Patriae virum nullo viciſſim tempore deſtitit. Etenim ſi honores ac dignitates auctoritatis plurimum adferunt, qualis in eo fuiſſe illa cenſenda eſt, cui omnia contigerunt? qui AEdilis, Praetor, Conſul eſt declaratus? qui Siciliam Quaeſtor, Ciliciam Proconſ. obtinuit? De quo vero majores tituli, aut majora Senatus Populique judicia extiterunt, quam de hoc ipſo, cui non ob bene geſtam, ut aliis, ſed ob ſervatam ac liberatam Remp. & incendio illi Catilinario ereptam & explicatam, nulli ante, nulli poſtea datum, nec niſi per adulationem Romanis exinde Caeſaribus, quo illi tantopere gloriabantur, conceſſum, ſplendidum atque magnificum Patris Patriae nomen frequenti Senatu Catulus, apud Pop. Cato, uno

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

mox omnes conſenſu ultro detulerunt? Cui per omnia Deorum templa Supplicationem decrevit idem ille Senatus? cui inauratam ſtatuam erexere Campani? quem, ob civis ſervatos, corona merito Civica, eodem tempore, L. ornare voluit Gellius? cujus Conſulatum non conſulatum, non humanum honorem, ſed divinam quandam jam extinctae, jam mortuae Reip. Apotheoſin appellare ſolebat Curio? cui omnis imperii, atque orbis terrarum ſalutem adjudicabat Pompejus? Quod ſi opum praeterea divitiarumque neſcio quam dignitatem etiam majeſtatemque conciliat ſplendor, quantam eum habuiſſe credendum eſt, quem, praeter immenſas opes, quibus ille magnificè ac liberaliter utebatur, plurimas inſuper domos, decem & octo praetoria, ampla & operoſa, partim in locis

me-

mediterraneis, partim ad mare poſita, habuiſſe conſtat? qui modo in Tuſculano, modo in Arpinati, modo in Formiano degebat? nunc Cajetanum, nunc Pompejanum, nunc vero Cumanum eligebat ſeceſſum? Quod ſi amari denique, à quibus audiris, magnam dicenti addit auctoritatem, quae non in eo fuiſſe exiſtimanda eſt, quo majorem nemo à civibus ſuis amorem unquam ac benevolentiam impetravit? quo in exilium abeunte, & univerſus Senatus, & viginti millia hominum veſtem mutaverunt? quo exulante, octo tribuni de ejus reditu promulgarunt, nihilque Senatorius ordo, niſi de eo prius Conſules retuliſſent, decernendum putavit? quo domum redeunte, omnis aetatis, ſexus, ordinis homines, omnis Senatus Populuſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

R. obviam ei proceſſit, & à Brunduſio Romam uſque perpetuum totius Italiae agmen defenſorem ac liberatorem ſuum ſuis propemodum humeris reportavit? quo interempto, cum caput ejus Romam relatum, quo totum ſe diem oblectarat Antonius, cujus linguam exſciderat, acuque pupugerat, ac mille vulneribus laceraverat Fulvia, cum os illud diſertum in ſuis Roſtris expoſitum Populus videret Romanus, lachrimas inhibere non potuit, nec ſecus ad eum videndum, quam prius ad audiendum, confluxit?

Porro uti ipſa dicentis perſona, & requiſitae in eo virtutes plurimum in Eloquentia poſſunt, ita magnam quoque ad perſuadendum vim habet, tum eos, ad quos loquimur, tum mores eorum ingeniumque cognoſcere. Cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

enim ut quis recte perſuadeat, auditorum ſuorum animum commovere debeat; naturam ejus omnem cognoſcat, omnes ſinus & angulos, omnes interiores latebras perſcrutetur neceſſe eſt. Nunc amorem, nunc odium; nunc timorem, nunc rurſum fiduciam; nunc alios iterum motus excitare in eo oportet. Ad auditorum praeterea genium accommodare ſe debet Orator. Nam aliter apud juvenes, aliter apud ſenes; aliter apud nobiles, aliter apud plebejos; aliter apud doctos, aliter apud imperitos; aliter apud hunc populum, aliter apud illum; aliter Athenis, aliter Romae loquendum. Quod adeo verum eſt, ut ſummi illi dicendi ac perſuadendi artifices, Cicero atque Demoſthenes, ſi alio genere dicendi, quam ſunt uſi, uſi fuiſſent, neque hic Athenis, neque ille

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Romae perſuaſurus quicquam fuiſſet. Alii erant tum temporis, ac prius fuerant, Romanorum mores: magis ingenui, magis urbani. Conſenuerat illa ferocia bellica, in qua ſola majores virtutem poſitam eſſe crediderant. Ipſi autem gloriae ac libertatis, ſi unquam, avidiſſimi. Affectabant id unum, ut populos imperio regerent, totique terrarum orbi leges ac morem imponerent. Omnem ſuperbiam, omnem ſegnitiem oderant. Nihil ſpirabant niſi aequitatem, magnificentiam; & propriam quandam Romanis majeſtatem. Quare ſuaviter leniterque tractandi potius, quam ſevere reprehendendi, & ad ingenitas ſibi virtutes incitandi erant Romani. Quibus omnibus ita apposite, ita artificioſe uſus eſt Cicero, ut quod. dam quaſi imperium in omnium animos exer-

exerceret, & primum in Eloquentia facile obtineret locum.

At quid, quaeſo, eſt illud ipſum, quod Eloquentia dicitur? quid aliud, niſi ars perſuadendi: hoc eſt, ut illud dicatur, quod decet; id eſt, perſonis, temporibus, aetatibus convenit? quod tamen ipſum animo magis concipi, quam verbis exprimi poteſt? ut enim artis eſt caput decere: ita longe eſt difficillimum videre, quid deceat. Id vero qui videt, & ad omne, quod decet, orationem accommodat, is verus ille demum ac Perfectus Orator. Sua ergo unicuique ante omnia inſpicienda natura eſt. videndum quid in ea ſit proprium: id retinendum ac conſervandum; id enim maxime decet: nihil autem decet, quod contra naturam eſt: neque quis-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

quam placere poteſt, qui aliorum naturam potius, quam ſuam ſequitur. Ut autem nihil decere poteſt, niſi quod bene ſit ordinatum atque diſpoſitum, id eſt, eo ſit loco, quo eſſe debet; ita tum rerum, tum verborum ordini eſt incumbendum imprimis, ut dicatur illud quod decet, ſine quo nihil placere poteſt. Illud vero ipſum quod placet, ab ingenio & imaginatione potius, quam ab ullis praeceptis eſt hauriendum, & Naturae magis, quam Artis, quaedam eſt eloquentia. Verum uti nemo bene dicere poteſt, niſi qui rem ipſam recte intelligit, ſic plurimum ad eloquentiam, & ad id quod decet ac placet, ratio & dicendi quaedam prudentia valet. Ea rem recte percipit, perceptam exprimit, & plus quam ulla praecepta aut ornamenta perſuadet. Quicquid huic convenit,

elo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

eloquens; quicquid ab hac recedit, ineptum ac frigidum cenſeri debet. Ut vero uno verbo abſolvam, in quo maxime ſitum eſt illud quod decet, quod placet, atque perſuadet: conſiderare Oratorem oportet, tenuia ut humiliter, mediocria temperate, gravia magnifice dicat; & ita omnem orationem temperet, ut quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. in eo quippe omnis eloquentiae vis. Cum enim res omnes aut tenues admodum ſint, aut magnificae admodum, aut ex utriſque temperatae; & triplicem inde ſtyli characterem confecerint veteres dicendi magiſtri, tenuem, ſublimem, mediocrem, prudentis eſt Oratoris videre, quae ſit uniuscujusque rei natura, & quonam ea charactere exprimi debeat. Et ut Architecturae periti in aedium ſacrarum aedifica-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ficatione ea utebantur forma, quae Dei ac Deae, in cujus honorem excitabatur id templum, naturam repraeſentaret; & ordine Dorico, ſolido ſimplicique, & plus, quam reliqui, majeſtatis habente, Herculis, Martis, Minervae; Corinthio ordine, molli ac delicato, Nympharum, Veneris, Florae; Iōnico vero, qui Corinthium inter & Doricum, Junonis, Dianae, ac Liberi Patris, mediocrium, ut ita loquar, divinitatum, templa conficiebant: ita ſtylo gravi, ac majeſtatis pleno ſublimia, florido mediocria, dulci ſimplicique tenuia efferre debet Orator, & aut hoc aut illud dicendi genus ad rei naturam accommodare. Jam autem, ut triplicem ex ipſa rei natura ſtylum, ſublimem, inquam, mediocrem, tenuem, ita alium rurſus triplicem, ex natura & moribus gentium, iidem nobis conficiunt

Rhe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Rhetores, Aſiaticum, Atticum, Rhodium; quorum prior copioſus atque magnificus; ſecundus, purus, ſobrius, caſtus: tertius, inter hujus luxuriam, hujusque modeſtiam temperatus. quibus ita univerſis uti eum oportet, ut rei ipſius ratio ac natura deſiderat. Quicquid praeterea in reliquis ſtyli generibus excellens atque egregium invenit, ad ſuum transferat; & in docendo Dogmaticum, in narrando Hiſtoricum, in amplificando, & in animi motibus excitandis, Poëticum quodammodo characterem, adhibeat Orator neceſſe eſt: ut ex omnibus iis proprium illum ſuum conficiat Oratorium ſtylum. Atque haec ita intelligenda ſunt, ut in ſingulis non ſolummodo orationibus, ſed & in uno eodemque ſermone varius ſit interdum di-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

dicendi character: nam aliter in Exordio, aliter in Peroratione; aliter de re ſimplici, aliter de magnifica loquimur; ex qua tamen varietate ac diverſitate dicendi mirabilis illa ſtyli oriatur conformitas. Nam & è variis lapidum lignorumque generibus, multum inter ſe diverſitate diſtantibus, unum tamen atque uniforme aedificium conſtruunt Architecti: & umbras ſuas pingendi ſectantim artifices, ut illud quod repraeſentare praecipue volunt, majore luce perfundant. Pari modo ex omnibus ſtyli ſtylorumque generibus ſuum illum Oratorium characterem confingere debet Orator, quo juſtam tandem atque legitimam rerum ac verborum proportionem, hoc eſt, illud quod decet, inveniat. Ea autem inveniri ut poſſit, ſingularis quaedam linguae cognitio, & exquiſitiſſi

morum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

morum verborum tum propria, tum tranſlata ſignificatio eſt pernoſcenda, & magna cum cura adhiberi eadem debent, ne aut jaceat nimis, aut intumeſcat Oratio; vel obſoleta aut nova potius, quam proba ac genuina proferantur. Neque vero, utcunque neceſſaria maxime, verborum haec cura ſufficit, niſi & ſuo eadem loco atque ordine collocentur, & apta quadam diſpoſitione numeroſam efficiant orationem. Egregium certe quiddam, & arcanum Oratoriae artis eſt Numerus: ne ſolos eo Poëtas poſſe gloriari putetis: aut non eſſe, quia minus appareat. Suus Poëtae eſt numerus, ſuus eſt Oratori: qui tanto inventu eſt difficilior, quanto occultior. Rythmus quidam eſt numerus, & apta quaedam verborum inter ſe collocatio, per totum orationis corpus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

omneſque periodes ſparſa atque diffuſa, quae miram in auribus noſtris dulcedinem ſua concinnitate conciliat. Mirifice ſane & exornat ſermonem, & animis noſtris ſe inſinuat, Numerus. Horret ſine eo ac riget oratio, & placere neutiquam poteſt. Suus eſt rebus ordo: ſuus eſt verbis. rerum diſpoſitio incredibilem orationi lucem adfert; verborum, incredibilem ſuavitatem. Illa ratione dignoſcitur; Haec auribus, quarum acerrimum longe ſuperbiſſimumque judicium.

Quanquam autem ardua ſint ea, difficultatisque pleniſſima, Ciceroni tamen tentata ſunt & ſuperata feliciſſime omnia. Quis enim eo unquam rectius, quid deceat, vidit? quis ad id quod decet orationem rectius accommodavit? quis placuit, quis perſuaſit magis?

quis ſe ac naturam ſuam perſcrutatus eſt diligentius? cujus prudentior, cujus magis ordinata oratio? quis tenuia dixit ſimplicius, quis mediocria temperatius, quis gravia magnificentius? quis triplicem ſtyli naturam aut intellexit melius, aut expreſſit felicius; qui, Protei inſtar, in omnes ſe formas convertit? vaſtiſſimam enim omnium rerum adeptus ſcientiam omni de re appoſite diſſerebat: & ad omnia flexilem ſortitus naturam, quamcunque vellet induebat perſonam. Nunc lenis erat & humilis, nunc floridus & moderatus, nunc grandis atque magnificus: nunc ſtrictus & Atticus, nunc diffuſus & Aſiaticus, nunc temperatus & Rhodius, quarum ille gentium uti terras viderat ac perluſtraverat, ita naturam & characterem imbiberat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Quis magis rurſum in docendo Philoſophus, in narrando Hiſtoricus, in perorando, ubi opus, Poëta? quae tamen ille omnia ita diſtinguit, ut nunquam ab Oratore diſcedat. Temperat ille haec omnia, & ita inter ſe miſcet, ut ex rebus inter ſe diverſiſſimis quod ſit optimum eligat; quod proprium oratoris, retineat. Eſt autem in omni ſtylo aliquid optimum; in omni re & in omni perſona aliquid proprium. Vidit hoc, ſi quisquam, Cicero: qui e variis diverſiſque dicendi generibus optima, & tum rei Oratoriae, tum ſuae naturae convenientiſſima eligendo, proprium ſibi ac peculiare, & ad perſuadendum idoneum maxime, diffuſum illud ac copioſum dicendi genus effinxit. Etenim, ſi character eſt animi ſtylus, quis non ad omnia capax, & omnes diſciplinas complectens ingenium,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

nium, immenſam magnitudinem animi, & inexhauſtum Eloquentiae fontem in ſtylo illo Ciceroniano agnoſcit? Hic eſt ille pro optimo agnitus, ab omni aevo laudatus, Ciceroni peculiaris & quaſi innatus; hic elucens in eo prae reliquis, largus ille ac copioſus, divinus atque incredibilis dicendi character. quem ita tamen reſtrinxit, ubi res poſtulat, ac temperavit, ut nusquam ſui ſit ſimilis, & ubique ſemper. Quis in inchoando ſimplicior, in docendo apertior, in narrando clarior, in confirmando nervoſior, in refutando preſſior, in amplificando diffuſior, in perorando magnificentior? Ubique clarus eſt Cicero, facilis, purus; ubique ſuavis, pulcher, magnificus; ubique naturalis quaedam in eo cum majeſtate ſimplicitas. hic enim eſt Ciceroni pro-

prius, & longe optimus dicendi character, cum nullo fuco ac lenocinio exornata, ſed per ſe, ac ſua pulchritudine exſurgit Oratio. hoc ab aliis ſaeculis ſaeculum illud aureum; a ſcriptoribus aliis diſtinguitur Cicero. Melioris illius aevi Auctores, & inter eos optimi illi, Cicero inquam atque Virgilius, naturale dicendi genus ſecuti, nullis fucatis ornamentis, nullis ſententiis aut acuminibus, quo ſequens illud Senecae ac Plinii ſaeculum eſt devolutum, niſi cum ſponte occurrebant, & ex ipſo orationis corpore reſultabant, ſed majeſtuoſa quadam ſimplicitate, & naturali ſua ſe pulchritudine commendabant. quid enim iis ſimplicius? quid iisdem majeſtuoſius? quid naturae convenientius? id autem eſt optimum, quod Naturae conve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

venientiſſimum: id ornatum maxime, quod minimis indiget ornamentis. Simplex itaque, naturale, magnificum, amplum ac copioſum, hoc eſt, optimum, & ad perſuadendum accommodatiſſimum elegit ſibi Cicero dicendi genus. quid enim rem magis commendat, quam naturale & ſimplex? magis exornat, quam grande atque magnificum? quid magis perſuadet, quam copioſum? Animadvertebat hoc Cicero, idque tum ipſius rei, tum ſuae, tum auditorum ſuorum naturae convenientiſſimum fore judicabat. Nam ut quis perſuadeat, non ſemel ea quae dicenda ſunt dixiſſe ſufficit. cum populo res eſt, qui nec ſtatim ea quae dicuntur intelligit, nec iisdem afficitur ſtatim. Semel atque iterum res eadem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

repetenda, & aliis atque aliis verbis, aliis figuris ac modis eſt efferendum, quod perſuadere quis velit. quo in genere ante omnes excelluit Cicero: qui idem nec idem dicendo, eandemque monetam, ut ita loquar, recudendo, in omnium ſe inſinuat animos, & hoc aut illo modo in ſuam omnes ſententiam trahit. Atque idem ille optimus dicendi magiſter, uti vaſtiſſimam rerum ſcientiam, & uberrimam in dicendo copiam ſibi compararat; ita, ſi ſuae naturae genium ſequi vellet, quod in perſuadendo optimum, non poterat non eſſe copioſus. Quam tamen ille abundantiam temperaſſet facillime, niſi eam auditorio ſuo convenire judicaſſet. Victores terrarum ac gentium erant Romani. nihil, niſi amplum atque magnificum, eorum animi, eorum aures cupiebant.

Laxum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Laxum deinde ac liberum Eloquentiae curſum conceſſerant, quae in animi praecipue motibus concitandis neſcio quid plenum ac copioſum deſiderat. Reſtrinxit tamen idem haec optime, & ad Auditorum ſuorum naturam accommodavit, atque aliter in Senatu, aliter apud Populum, aliter apud doctos, aliter apud imperitos locutus eſt, ut ubique ſtylum ejus pulcherrimum, copiae perſuaſioniſque pleniſſimum, admirari cogamur. Jam vero cum ad rectam ſtyli conformationem verba praecipue ſpectare videantur, quis aut in eorum delectu ſine cura accuratior, aut in diſpoſitione eorum ſine affectatione rotundior; adeo ut & optimarum locutionum, & ſuaviſſimorum Numerorum inventor quaſi & auctor haberi poſſit? quis enim tam caſte, tam pure, tam Latine loqui-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tur, quam hic ipſe, qui ab omni aevo quoddam Latinitatis exemplum eſt habitus? quis tam ſimpliciter, tam efficaciter, tam diſerte, tam naturaliter, tam uſitate, quam idem ille, omnis Eloquentiae princeps! quis Numerorum rationem vel intellexit melius, vel expreſſit ſuavius, vel tradidit diligentius? quis tibiarum aut chordarum ſonus; quis vocis humanae aut avium cantus, tantum nos ſua dulcedine ac ſuavitate perfudit unquam, quantum hic incredibili Numerorum ſuorum concinnitate, velut Sirenum aliquo cantu, & divina quadam modulatione, delectat?

Caeterum, cum in duobus hiſce praecipue omnis vis perſuadendi conſiſtat, ut & Intellectus & Voluntas vincantur, boni Oratoris videre eſt, ut utramque

ſibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ſibi hanc facultatem ſubmittat. Intellectus, ratione; Voluntas, animi motibus vincitur. Neque enim ſatis eſt intelligere, niſi & velis, ne cum Medea meliora videas, pejora vero ſequaris. Rationibus itaque Mens convincenda eſt, ut clare intelligat, quid ſit rectum: Eloquentia animi motus excitandi, ut id, quod Mens rectum eſſe intelligit, velit nolit, probet ac ſequatur Voluntas. Utriusque magnifica, utriusque pulchra victoria: Mentis facilior; difficilior Voluntatis: hujus, exigui temporis; illius perpetuo duratura. Simul enim ac dicendi ardor deferbuit, motus ille reſedit, neque quicquam in animo operatur amplius, redit ad priſtinium ſuum ſtatum Voluntas, & ſuam naturam potius, quam dicentis ſequitur auctoritatem: cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

firmis ac validis rationibus victa mens auditoris nunquam ſe iis opponere, aut repugnare ſuſtineat. Utrumque tamen ad perſuadendum neceſſarium maxime. Utrique ut imperet, anniti debet Orator, ut illud, quod intendit, perſuadeat, & plena tandem ac juſta potiatur victoria. Intellexit hoc optime Cicero: qui tam validis atque efficacibus argumentis ac rationibus eos, quos perſuadere vult, oppugnavit: tam acres ac vivos animi motus in iis excitavit: ut lubentes & ultro ſuas ei mentes voluntatesque ſubmiſerint. Etenim, cum neque ei judicium ad ratiocinandum, neque Eloquentia ad commovendum deeſſet, nihil prope dixit, quod non perſuaſerit. & cum praecipua Eloquentiae pars ſit, auditores ſuos movere, &, quaſcunque in iis volueris, commotiones

nes animi excitare, qualem eum fuiſſe oportet, qui in hac Eloquentiae parte regnaverit unicè, & in eo, quod in oratione eſt excellentiſſimum, excellentiſſimus fuerit?

Multa dixiſſe jam videor, Auditores. Nihil dixi. Nihil enim ea, quae dixi, ad perſuadendum valent, niſi ea, quae dicenda reſtant, accedant. Corpus quoddam orationis vobis exhibui, effaetum, mortuum, ſine ſpiritu, ſine anima. Opus Prometheo, qui eam infundat. Certe, niſi vocis, manuum, oculorum, & totius corporis apta ac juſta acceſſerit conformatio, nunquam ſe perſuaſurum ſperet Orator. Haec eſt illa tantopere laudata Veteribus Actio. haec dominatur in oratione. haec vita ejus & anima. Quis vel Ciceronis vel Demoſthenis orationibus, quanquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ſumma cum admiratione legantur, ita tamen afficitur hodie, ut ii olim, qui audierunt? aliquid adfuerit ergo neceſſe eſt, quod hodie non conſpicitur. Id ipſum eſt Actio: quae partim in vocis moderatione, partim in apta totius corporis conformatione conſiſtit. Ea autem tum Naturae munere, tum Arte & Exercitio comparatur. Naturae profecto eſt donnm ea, qua de nunc loquimur, Eloquentia; quare nihil fere de ea nobis reliquerunt veteres dicendi Magiſtri. Haec totum corpus effingit: vultui pulchritudinem; membris juſtitiam; voci facilitatem; & omnibus ejus organis ſuam diſpoſitionem accommodat: quae, niſi a Natura, haberi certe non poſſunt. Sic tamen in iis omnibus dominatur Natura, ut ſuum Arti & Exercitationi locum relinquat. Prima elementa debentur

Na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Naturae: reliqua, Arti & continuae Exercitationi. Debilis & imperfecta eſt, ſine Arte, Natura: Ars, ſine Natura, fruſtranea. nihil enim habet in quo ſe exerceat. Adeo ut illi fallantur meo judicio plurimum, qui hanc omnem externam, ut vocant, pronuntiationis & geſtuum Eloquentiam ſoli Naturae attribuunt: & quicquid ab Arte colligitur, affectatum continuo clamant, neque quenquam & naturaliter & artificioſe poſſe loqui exiſtimant. Erratis, quicunque eſtis; neque quid ſit Naturae, quid Artis, ſatis intelligitis. Ego vero ita exiſtimo. Omne quod naturale, artificioſum; omne quod artificioſum, eſſe naturale. Paradoxum dicere videor. at nihil verius. nihil enim a Natura ſumme perfectum, niſi accedat Ars: nihil ab Arte, niſi Natura praeceſſerit. Dicam paullo clarius.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Neminem ego unquam Oratorem fuiſſe contendo, qui placuerit, ſine naturali autem Eloquentia placere non potuit, quin ſummum in eo fuerit Artificium: neminem arte dicendi valuiſſe, quin ſumma in eo fuerit Natura. Adeo hae duae conſentiunt, & rem eandem efficiunt. Quid enim agit Natura, niſi ut ea praeparet, in quibus Ars operari poſſit? quid Ars, niſi ut illud ſuppleat, quod Naturae quaſi deeſſe videbatur? quae, ſi eſſet perfecta, ſupplemento illo non indigeret. hoc eſt illud, quod vulgo dicitur: Natura dirigit, Ars perficit: id eſt, illud addit, quod Natura addere ſuperſedit. Facit autem nihil aliud, quam feciſſet Natura, ſi ulterius procedere voluiſſet. Docet ea naturaliter & rebus convenienter loqui: idem docet Ars: iisdem fundamentis innititur: & tum

ipſius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ipſius rei, tum ejus, qui loquitur, naturam conſiderando, ſuum Oratorem fingit, format, ac perficit, & majorem ei, ut ita dicam, naturam infundit. Nemo itaque naturaliter, niſi qui artificioſe; nemo artificioſe, niſi qui naturaliter, loquitur. Ars enim hic & Natura unum & idem. Hae autem continua exercitatione ita ſunt inter ſe temperandae ac confundendae, ut, utrum Ars an Natura ſit, non appareat. Quicquid affectatum, non eſt ab Arte, ea enim perfecta, & Naturae conveniens, ſed ab artifice, non ſatis in arte ſua verſato, & aſſiduis exercitationibus confirmato, proficiſcitur. Quod ſi quis Natura valeat, quid ſit Artis intelligat, & ad hanc corporis Eloquentiam comparandam ſerio ſeſe ac diligenter exerceat, an ab Arte ſit, an à Natura, nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

dijudicabit. Quis in re Muſica placuit unquam cantor aut viguit, vel aliquam in ea arte nominis ſibi famam ac gloriam comparavit, qui non & pulchra voce a Natura inſtructus, & vocis ejusdem regimen ab Arte eſſet edoctus? Quis in Poëtica, qui non, uberem a Natura venam, & divinum quoddam ingenium nactus, bonorum lectione Scriptorum, multaque atque continua exercitatione, idem illud ingenium excoluiſſet? optime tamen uterque, ac Naturae convenientiſſime, & canit & ſcribit: tantoque praeclarius, quanto plus Arti operae dedit. Hanc ingreſſi ſunt viam Veteres illi in dicendo Magiſtri: & ad id Eloquentiae culmen pervenerunt. Eandem hanc ingredi debet, quem quaerimus, ſummus ille ac perfectus Orator. Et ut in Actione plurimum pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

nuntiatio valet, ita huic ante omnia incumbere eum neceſſe eſt. Nihil hac efficacius, nihil ad perſuadendum potentius. Huic primas, ſecundas, tertias tribuebat Demoſthenes: hanc praecipuam ejus virtutem judicabat AEſchines. cum enim Rhodum receſſiſſet prae pudore victus à Demoſthene AEſchines, & amicis, id ab eo petentibus, ſuam contra Cteſiphontem orationem nude ſimpliciterque, deinde eam, quae pro eodem Demoſthenis, in quibus elaborandis integrum quadriennium lucubraverant ſummi illi Oratores, graviter magnificeque praelegeret, admirantibus id ipſum amicis, quid ſi ipſum audiſſetis? inquit: ſe non tam orationis, quam ipſius Oratoris pronuntiatione victum fuiſſe ſignificans. Huic itaque attendat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

praecipue, & a teneris vocem informet, flectat, componat, atque ita omne artificium imbibat, & in naturam convertat, ut non aliter loqui poſſe videatur. Nunc eam attollat, nunc deprimat; nunc lentior incedat, nunc incitatior; nunc quadam cum ſimplicitate jucundus, nunc quadam cum majeſtate magnificus: ita denique eam inflectat ac torqueat, ut rerum ac verborum natura deſiderat. Ac mihi quidem, quod hujus eſt rei, intuenti ac comtemplanti, quatuor in pronuntiando gradus atque proceſſus eſſe videntur: ut intelligatur ille qui loquitur, ut placeat, moveat, rapiat. Nam & intelligi ante omnia debet, & clare atque diſtincte loqui; & ſic rurſum loqui, ut non intelligant ſolum loquentem, ſed & libenter eundem audiant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

auditores: quae fruſtra tamen ſunt omnia, neque quicquam ſane profecit, niſi & moveat eos, Orator, qui unicus Eloquentiae finis; & tales in iis animi motus excitet, ut attoniti atque perculſi, & quaſi extra ſe rapti eſſe videantur, qui ſummus Oratoriae apex. In voce vero, praeterquam quod clara atque perſpicua, & quadam cum ſuavitate magnifica eſſe debet, duo tamen illa regnant praecipue, Canorum illud ac Numeroſum, quae neſcio quam Orationi dulcedinem magnificentiamque conciliant. Quanquam autem primum in Actione locum merito ſibi vindicet Pronuntiatio, ita ſecundum merito ſibi poſtulat Vultus, qui ſaepe pro omnibus verbis. Jam vero, ſi indices animi Oculi, quid in Amore, quid in Ira, & reliquis ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

mi motibus valeant, quis non animadvertit? Manus autem ut dicenti gratiam, ſic rei ipſi incredibilem lucem atque efficaciam adferunt. Totius porro corporis ſtatus, & ipſius quoque exterior corporis cura, virilis illa quidem & decens, neſcio quid Oratori ponderis adjicit & auctoritatis.

Videte, Auditores, quam multis indigeat perfectus ille, quem formamus, Orator, cum in his univerſis excellere debeat, quae ſingula omnem prope aetatem hominis occupationemque deſiderant. Superavit tamen haec omnia Cicero, & in utraque, ut ita dicam, Eloquentia, ſi quis unquam, excelluit. Cum enim praecipuam Eloquentiae partem Actionem eſſe videret, in ea ſe exercuit ſedulo. Corpus erat ſortitus pulchrum; vocem, facilem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

claram, diſtinctam; vultum plenum gravitate, plenum urbanitate; omnia membra quaſi ad dicendum compoſita. Utebatur his Naturae donis, & ea continua exercitatione augebat quotidie. Declamabat domi, orantes audiebat in Foro, & ad exempla praeſtantiſſimorum, quibus abundabat haec aetas, Oratorum, Cottae, Sulpitii, Craſſi, ſe conformabat. Et ut a Satyro Demoſthenes, ita a Roſcio ſuo artem pronuntiandi diſcebat, totius corporis ſtatum componebat, & quaecunque e re ſua eſſent a Theatro ad Forum transferebat: neque enim ille Hiſtrionicam ab hac Oratoria arte tam alienam putabat, ut quidam hodie putant. Eadem utriusque ſunt fundamenta: judicio opus, ut ſeparentur. Certabat cum Eodem hoc ſaepius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

uter unam & eandem rem, verbis an geſtu, pluribus modis exprimeret: adeo in arte ſua excellebat hic Comicus. Mira profecto res, & prope incredibilis hodie, fuit apud Veteres Actio: cum adeo in formandis geſtibus eſſent exercitati, ut quidvis ſine verbis, per Mimos & Pantomimos, ſolo corporis motu, repraeſentarent. Mirabile non minus quiddam Pronuntiatio, cui ſe per Phonaſcos, Rhetores, Oratores, Comicos, Tragicos, & omnes qui in hoc genere aliquid poterant, ita a teneris adſueſcebant, ut ſingula non tantum vocabula, ſed & unamquamque ſyllabam, imo & litteram, examinarent, & ita, ut efferri debebant, pronuntiarent. Longas enim ſyllabas tardius; breves, celerius pronuntiabant: & tantum in pronunti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ando temporis uni longae, quantum duabus brevibus; tantum duabus longis, quantum brevibus quatuor, impendebant. Idque non in Ligata ſolummodo, ubi res evidentior, ſed & in Soluta oratione, obſervare conſuerant. Notabat haec omnia Cicero, neque quicquàm ſibi negligendum putavit, quo hanc ſibi Eloquentiae partem compararet: in qua ita excelluit, ut praeſtantiſſimos aevi ſui Oratores longe anteverteret. Cum enim cauſſas inter ſe dividerent, ut longiores ſolebant interdum, Cotta, Sulpitius, Craſſus, cujus mira erat in dicendo facundia, & par ille prope Ciceroni Hortenſius, & alius ſibi Confirmationem, alius Refutationem, alius alias partes ſuſciperet, Perorationem tamen, praecipuam Eloquentiae partem, in qua ille regnabat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Ciceroni ſemper relinquerent. Eam vero ita ille tractabat, ita judices ac populum commovebat, ita vivos in iis motus excitabat, ut plangore & lamentatione omne Forum compleret. quam ejus in dicendo facundiam metuentes Tribuni Metellus olim & Beſtia eum, ne publice loqueretur, prohibuerunt. Pronuntiabat autem uti mira cum ſuavitate, ita pari cum pondere & auctoritate. Vehemens erat in dicendo Sulpitius, dulcis ac ſuavis Cotta, temperatus inter utrumque Craſſus. erat enim in eo, quo nihil ſtatuit fieri potuiſſe perfectius ipſe eo perfectior Cicero, mira quaedam in dicendo gravitas, & ſingularis in eodem urbanitas: erat quaedam ſine moleſtia diligens elegantia, multa cum dignitate ac majeſtate conjuncta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ᵭa. Ad hujus ſe formam compoſuit, eumque tum in ſcribendo, tum in orando praecipue auctorem ſecutus eſt Cicero. Ejus ore ſuas decidit ſententias: eum ut optimum dicendi magiſtrum, & Eloquentiae quoddam exemplum, ubique proponit: in illo ſeſe ipſe depingit: quo tamen ille tanto fuit eminentior, quanto reliquis Craſſus. Ut autem in ipſa oratione duplex quaſi eſt ſtylus, generalis ille, qui per totam orationem aequaliter fluit; & peculiaris, qui in ſingulis partibus, ut rei natura poſtulat, ſeſe mutat ac variat; ita duplex quaſi eſt Pronuntiatio, univerſalis illa quae uno tenore decurrit, & alia illa, quae nunc altius, nunc vero depreſſius priore iſta, ubi eſt opus, procedit. Utrâque, uti res poſtulabat, uſus eſt Cicero. Et gene-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ralis quidem illa in eo erat, non cita, non ſubita, & multa verborum volubilitate decurrens, qua in re multi ſitam eſſe Eloquentiam putant, ſed lenta, majeſtuoſa, magnifica, ponderis ac gravitatis pleniſſima. Lente enim, gradatim ac pedetentim, magnoque cum pondere pronuntiabat, quare eum Gradarium appellabant ejus inimici. In corporis vero cura tam diligens & accuratus fuiſſe dicitur, ut multorum etiam reprehenſionem incurreret: nam & cretata toga utebatur: crines criſpabat; odorato etiam pulvere conſpergebat. Adeo ne minima quidem ſibi negligenda putavit, ut ſummum illum tandem ac Perfectum Oratorem repraeſentaret.

Et quis, quaeſo, eum unquam perfectiorem exhibuit? non ille, qui nunquam ſe eum vidiſſe teſtatur, Antonius,

non P. ille Sulpitius, non ſummus orator Hortenſius, non Cotta, non Craſſus, quo nihil quicquam perfectius, non ille denique eloquentiſſimus, & ſolus cum eo, ſi quisquam, comparandus, Demoſthenes. Nam & naſcendi felicitate, & pluribus tum corporis, tum animi dotibus, & rerum plurimarum ſcientia, & in omni ſcribendi genere, & in ipſa denique Actione, qua ille valebat plurimum, longe eundem antecellit hic noſter. Nam & longe nobilioribus illo parentibus natus eſt Cicero, & eo tempore natus, quo totum terrarum orbem ſubjugaverat Roma, quo mores eorum erant politiſſimi, quo felix ingeniorum proventus, & uberrima erat optimorum Oratorum copia. Nihil praeterea in corpore vitioſi habebat Noſter, cum ille contra diu luctandum cum vo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

ce habuerit, ut caninam tandem litteram ſine moleſtia pronuntiaret. Ingenio item & imaginatione hic illi praevaluit, quae in rebus tum inveniendis, tum exprimendis, & depingendis, unice valet: Doctrina vero & eruditione, atque infinita illa omnium diſciplinarum, quas erat complexus, ſcientia, longe hunc ipſum ſuperavit. Jam autem, ut in omni genere ſcientiarum, ita in omni ſcribendi genere excellit idem, & nunc eſt tenuis, nunc ſublimis; nunc grandis atque magnificus, nunc ſuavis rurſum ac lenis, & mira quadam dulcedine profluens, nunc ſtrictus iterum, nunc amplus ac copioſus; cum nihil a ſolita ſua gravitate, & contracto illo genere dicendi remittat alter, nunquam ſit placi-

ci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

cidus, nunquam lenis, ubique tonet ac fulguret. Jam vero in ipſa Actione, quae Demoſthenis quaſi propria, & in ipſis affectibus animi concitandis, major eodem Cicero. Nam & pleniorem, quam ille, dicendi campum, & liberiorem ſuae Eloquentiae curſum habebat, cum Exordiis & Perorationibus uti vetitum eſſet Athenis, in iis autem adhibendis plena eſſet poteſtas Romae, & in ipſis paſſionibus animi excitandis, & miſericordia judicum commovenda, & in ipſa denique vocis ac geſtuum moderatione praevalebat hic idem; cum ille contra nec locum in quo Eloquentiae ſuae vires expromere poſſet, haberet, nec, ſi habuiſſet, in variandavoce, & affectibus omnibns tam artificioſe ciendis, ita excelluiſſet. Semper

gran-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

grandis atque magnificus, nunquam ſuavis aut jucundus eſt ille, & extorquet potius, quam elicit, quod intendit: Hic in omnes ſe formas convertit, ubique placet, ubique perſuadet. Quare, quanquam varii perfectionis ſint gradus, & quisque in ſuo genere perfectiſſimus eſſe poſſit, & tales revera fuerint ſummi illi duo ac Perfectiſſimi Oratores, pulchriorem nihilominus Eloquentiae nobis imaginem, & omnibus numeris ſuis abſolutiorem, perfectioremque Demoſthene reliquiſſe cenſendus eſt Cicero, & Optimus ac Perfectiſſimus omnium, quotquot unquam fuerunt, clarorum & illuſtrium Oratorum haberi merito debet.

Quae cum ita ſe habeant, Auditores, & cum vir ille omnibus tum animi, tum corporis dotibus fuerit inſtructiſſimus;

cum-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

cumque ſummum ſit in Eodem Ingenium atque Judicium, plurimus in diſcendo ardor, varia ac profunda Doctrina, multa Fidis, Auctoritas, Probitas, divina quaedam & incomparabilis tum in ſcribendo tum in dicendo Eloquentia, & continua in utroque Exercitatio; quid dubitatis tot ac tantis virtutibus Praedito viro Eloquentiae palmam, & perfecti Oratoris nomen concedere? Certe ſi nemo eo aut perfectior unquam fuit, aut perfectior fieri poſſe videatur, quippe in quo nihil, quod adjiciatur, deſideretur, Perfectus profecto hic ipſe eſt judicandus, quo melior nemo vel fuit unquam, vel erit, vel eſſe poſſit.

Atque haec ideo commemoravi, ut, quid fuerit olim Eloquentia, quae ſit hodierna, & quibus viis ad priſcam illam & veram adſcendi quodammodo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

poſſit, comprehendatis. Dolendum eſt equidem ac deplorandum, artem illam pulcherrimam, nobiliſſimis quondam populis, Graecis atque Romanis, excultam & expolitam, ita dudum eſſe amiſſam atque deperditam, ut hodie non niſi nomen ejus, & vana quaedam imago ſuperſit. Nam quis eſt, inquam, hodie, Auditores, qui, non dicam boni ac perfecti Oràtoris nomen ſibi vindicare, ſed in Oratorum aliquo, ſi cum Antiquis illis comparetur, haberi numero poſſit? Qui argute aliquid dicit, qui ſententiis & acuminibus, tanquam pretioſis lapidibus, orationem conſpergit, diſertum: qui ſine haeſitatione pronuntiat, & multa verborum volubilitate decurrit, bonum Oratorem vocamus. Aliud quid apud Veteres erat Eloquentia; aliud, bonis Orator. Ne blandiamur nobis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Auditores: umbram & ſpeciem retinemus; rem ipſam amiſimus. Nam ſi ob innumerabiles illas, quae requiruntur in Oratore, & animi & corporis dotes, etiam tum, cum florebat Eloquentia maxime, vix ſingulis aetatibus bini Oratores laudabiles, vix duo Perfecti omnibus extiterunt: ne miremur nunc, quaeſo, ſi, prolapſa ea atque deperdita, tam rari hodie, aut nulli potius, reperiantur. Etenim ut eandem nunc eſſe, quae olim, Naturam concedam ultro atque confitear, quam rarum eſt illud ipſum, aliquem omnibus Naturae dotibus ita eſſe inſtructum, ita voce, ſpiritu, vultu, & totius corporis apta quadam proportione valere, ut nihil ſit, quod averſetur auditor, quod non libenter videat, audiat? ita ingenio, imaginatione, memoria atque

 judicio

judicio praeditum, ut omnibus iis ſuffi-
ciat? Quam rarum item eſt illud, varias
plurimaſque ſcientias, artes ac diſciplinas,
quarum optima quaeque animo ſuo com-
plecti debet Orator, complecti aliquem
ac comprehendere poſſe? Quam rarum
porro, tam multa ac varia in uno & eo-
dem inveniri? Sed fingite res inter ſe di-
verſiſſimas, ſummam in eodem Naturam
atque Doctrinam, ubi aſſidua induſtria ac
diligentia? ubi continua Exercitatio, ſine
qua nulla eſt Eloquentia? Quis hodie aut
haec omnia poſſidet, aut, an poſſideat,
animadvertit, aut, ut poſſideat, allabo-
rat? Quis attente ſe perſcrutatur, &, quid
in eo Natura valeat, ad quas diſciplinas
comprehendendas futurus ſit capax, ob-
ſervat atque conſiderat? Quis ea omnia,
ubi invenit, aſſidua Exercitatione auge-
re ac perficere nititur? Quis ad ſummam
illam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

illam ſcientiarum arcem viam affectat? quis Linguae & elegantiorum verborum curam habet? quis rationem Numerorum intelligit? quis triplicem ſtyli characterem diſtinguit? quis in ſcribendo ſe exercet quotidie? quis Actioni, & parti ejus praecipue, quae regnat in Eloquentia unicè, Pronuntiationi, attendit hodie? quis non eam negligit potius atque contemnit? ubi ſummi illi Oratores, ad quos ſe componat juventus: quorum plus viva vox docet, quam ulla praecepta? ubi honores ac dignitates, ſtimuli ingeniorum & incitamenta? ubi ulla Eloquentiae praemia? Quae cum apud Veteres ſumma fuerint, apud nos nulla ſint, ne miremur, Auditores, ubi illa eſſe deſierint, per quae ad magna quaevis & egregia incitari ſolemus, rem ipſam eſſe deſiiſſe. Quare, quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

magis a priſcis illis ſcribendi ac dicendi magiſtris receſſimus, eo magis eosdem colere, admirari, ac venerari debemus. M. Tullium Ciceronem imprimis, puriſſimum omnis Eloquentiae fontem, atque unicum Perfecti Oratoris exemplum, imitandum ſibi proponat, neque unquam de manu deponat, quicunque aliquem in Eloquentiae ſtudio fructum laudemque deſiderat. Eum vobis ego praelegam, Adoleſcentes, & illius tum libros Rhetoricos, tum diſertiſſimas ejusdem Orationes vobis explicabo, ut in altero Rhetorem, in altero Oratorem agnoſcatis Ciceronem, & quis ac qualis vir ille fuerit, quem vobis depinxi, veſtris, non meis, oculis videre poſſitis. Neque vero, quia jacet hodie, neque eum apud nos uſum habet Eloquentia,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

tia, quam habuit prius, nullum omnino habere exiſtimetis. Viget in Foro etiamnum, viget in Curia, viget in Eccleſia, neque latiorem unquam campum, aut dignius, quam ibi, theatrum habuit Eloquentia, ſi quis eam recte adhibeat. Scio, quid his opponi: ſcio etiam, quid reſponderi poſſit. Sed id nunc non agimus, acturi fortaſſe alias. Hoc unum dixiſſe ſufficiat, quod diximus ſupra: ut quis nempe perſuadeat, quod intendit, partim Intellectum, partim Voluntatem ſuperari debere: Intellectum vero ratione, Voluntatem Eloquentia vinci. Alteri parti, per ſaniores hujus aevi Theologos, abunde video ſatisfactum: de altera paucos eſſe ſollicitos. Illa intellectum illuſtrat, docet, erudit: Haec mores emendat, movet, perſuadet: nec majus eſt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

erudiri, quam emendari; aut ſcire quid rectum ſit, quam idem hoc facere. Si talis eſſet natura noſtra, qualis eſſe deberet, nullo artificio opus foret: nunc, cum abſtruſae hominum perverſaeque ſint voluntates, Eloquentiae vis extorquet, quod Ratio non perſuadet. Huic itaque parti, uti illi priori, noſter incumbat Orator, & Voluntati non minus, quam Intellectui imperet. Mores hominum corrigendi: animi motus concitandi: omnes ejus ſinus & anguli perſcrutandi, & mala inde ſemina evellenda ſunt penitus, & eradicanda. Docet hoc Eloquentia: docet optime Cicero: de quo unum illud adjungo, Inſignes eum in Eloquentia feciſſe progreſſus, cui Vir ille placere cepit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 E 91